



00  
A  
101





Freiherr v. Ende-Sitzjesnitz.

9.

~~57.~~

B. C. D.  
DISPUTATIO ETHICA  
DE  
NORMA ACTUUM  
MORALIUM,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN. FRIEDERICO WILHELMO,  
Electoratus Brandenburgici Herede  
&c. &c. &c.

Indultu

*Amplissima Facultatis Philosophica*

*In*

ACADEMIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

M. JOH. FRIEDEMANNO *Schneider /*  
Cranichfeldensi

*Publico Eruditorum examini proponitur*

à

JOACHIMO *Hindenburg /*Phil. & SS. Th. Cultore,  
A. & R.

Die *16* April. Ann. M DC XCVIII.

---

LITERIS HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
CHRISTOPHORI Salfeldii,  
TYPOGR. ELECT. BRAND.

*ILLUSTRIBUS, GENEROSISSIMIS ET  
EXCELLENTISSIMIS DOMINIS,*

**DN. RÜDIGER CHRISTIANO**  
de **WEDEL,**

Serenissimi Electoris Brandenburgici Con-  
siliario Intimo, Judicii Cameralis Directori Splendidissi-  
mo, Capitaneo Provinciarum Beseckow & Storkau,  
atque Ordinis S. Johannis  
Equiti,

**DN. MAURITIO HENRICO**  
de **WEDEL,**

Serenissimi Electoris Brandenburgici Libel-  
lorum Magistro, Aulæ & Camerae Consiliario  
Gravissimo & Ordinis S. Johannis  
Equiti,

**DOMINIS in Neuwedel ac Fürstenau/  
&c. &c.**

**DOMINIS PATRONIS ac PROMOTORIBUS  
MEIS SUMME COLENDIS**

publica hujus disputationis dedicatione  
debitum obsequii humillimi cultum  
declarare volui

*observantissimus cliens*

**Joachim Hindenburg.**  
A .& R.

## Sciagraphia

## Norma actuum moralium

## I. Spuria

- (a) Auctoritas humana, cujus  
 1) Defensores  
 Vetustiores sunt Pyrrhonii,  
 Recentiores Jesuita §. 1.  
 2) Scopus §. 2.  
 (b) Intentio bona  
 ut minus adequata,  
 malè applicata §. 3.  
 (c) Judicium Prudentium  
 præscriptum ab Aristotele  
 refutatum ab Amesio §. 4.

II. Genuina, Solum jus natura §. 5.  
circa hoc notetur

- (1) Fundamentum  
 fictum, Lex Dei aeterna §. 6.  
 verum, Socialitas §. 7.  
 (2) Promulgatio, in dictamine recta rationis §. 8.  
 (3) Subjectum  
 aptum sunt, homines, ratione sua utentes §. 9.  
 impeditum, infantes  
 furiosi,  
 amentes & similes §. 11.  
 ineptum sunt bruta §. 9. & 10.  
 (4) Objectum ratione originis, sunt actus humani  
 ratione indolis morales §. 12.  
 Excluduntur indifferentes §. 13.  
 (5) Effectus, obligatio  
 fundata in reverentia Legislatoris, non in  
 natura actuum §. 14.  
 restricta ad reatum, non speciem poenae §. 15.

(6) *Distinctio,*

*interna : in praecepta affirmativa & negativa :  
illa vicissim in specialia & generalia.*

*Generalia omni tempore,*

*Specialia data occasione,*

*Negativa sine exceptione obligant §. 16. 17.*

*externa a) à Lege morali*

*b) à Lege divina Positiva*

*sive universali,*

*sive particulari,*

*c) à moribus gentium. §. 28.*

(7) *Affectiones*

*(1) immutabilitas §. 19.*

*(2) indispensabilitas §. 20.*

§. I.



Auctoritas humana non potest norma esse actuum moralium: quia fallibilis. Hic dissentiunt Probabilistae recentiores, haud meliores Pyrrhoniis, uti constabit inspicienti Gerhardum Johannem Vossum in Libro de Sectis Philosophorum cap. XX. §. IV. p. 110. ita dicentem: Pyrrhonii negabant quicquam reverà esse honestum vel turpe, justum vel injustum: Sed homines judicium ferre pro Legum instituto, vel consuetudine. De Jesuitarum autem Probabilismo Ludovicus Montaltius in literis Provincialibus, Johannes Martinez de Prado, Professor Complutensis in Tom. 2. Theolog. Moral. c. 33. imprimis in appendice contra Johann. Caramuelem *quest. 2. §. 3.* Amadeus Gvimenius in Opuscul. Theolog. Moral. in Tr. de Opin. Probab. Prop. 1. prolixè egerunt n. 4. p. 57. Satis dictum est de propugnatoribus. Hypotheses intueamur, quibus inducti fuerunt: Infelix istarum lolium, passim dominatur: Singulae tamen eò collineant ut recipiatur auctoritas humana in rebus moralibus, tanquam regula. Frequentiores tantum notare, nunc placebit. Illarum 1) quod ex mente veterum Philosophorum in moralibus planè nullae dentur demonstrationes *vid. Aristoteles Lib. 1. Nicomach. cap. 3.* (2) quod infallibilis sit Apostolica sedes & sancta inquisitio

fitio circa editos morum libros. Id testatur Josephus Rocaffal. *in Prax. Mor. Tem. 1. pr. 3. c. 2. n. 20.* Si liber, inquit, sit alicujus Doctoris junioris & moderni debet opinio censi probabilis, dum non constat rejectam esse à sede Apostolica, tanquam improbabilem. 3) quod nullus actus sit moraliter malus, nisi voluntarius. Proinde Pavonius *in Summa Ethica Disp. 1. quest. I. def. 6. p. 10.* Moralitatem describit, esse ens ad personam rationalem spectans, ut ea præter usum rationis libertatem habet. Verum omnes recensitæ hypotheses maximè vacillant. In prima confunduntur demonstrationes exquisitæ, cum demonstrationibus sequioris ordinis: illas quidem non tribuimus rebus moralibus, utpote certitudine mathematica destitutis Hugo Grotius *de J. B. & P. Lib. 2. c. IV. §. 3.* Nam in moralibus circumstantiæ etiam minimæ variant materiam, & formæ, de quibus agitur, solent habere interjectum aliquod, ea latitudine, ut modo ad hoc, modo ad illud extremum propius accedatur Hugo Grotius *de J. B. & P. L. 2. c. 23. §. 1.* licet etiam utrinque reductum Hugo Grot. *de J. B. & P. L. I. c. II. §. 1.* Ad demonstrationes sequioris ordinis quod attinet, eas cum B. DN. D. Hermanno Conringio, sagaci morum scrutatore *in Tr. de Civili Prudentia cap. VIII. & IX.* meritò admittimus. Cum ad ipsas sufficiat, si res vel actio aliqua habeat attributum, cujus cum subjecto necessariam connexionem ex axioma aliquo indubio mediatè aut immediatè demonstrare liceat, sive actio vel res à necessariis causis dependeat, sive non. B. DN. de Pufendorff *in Prefat. ad Elementa Jurisprudentia Universalis & Lib. I. de J. N. & G. cap. II. §. 1. cum seqq.* B. Thomas Stegerus de probabilitate novo Moralistarum ac Jesuitarum dogmate §. 12. B. DN. Conradus Dürrius *in Instit. Ethic. Proleg. §. 20.* DN. D. Becmannus *in Lineis Moralib. cap. 1. §. 3.* Demonstrationum moralium varia recenset exempla DN. Joh. Jacobus Müllerus *in Instit. Moralibus Propædeumat. §. 20. p. 23. seqq.* Certa igitur rerum moralium notitia omninò datur, etsi maximam partem nitatur illa non nisi conditionali quadam rerum illarum necessitate B. DN. D. Hermannus Conringius *l. c. cap. 8. p. m. 145.* Inter vetustiores Philosophos ipse Seneca hoc minimè diffitetur: Ne-

mo, ait, casu bonus est, discenda virtus est, epist. 123. Secundam hypothesin, non solvo, sed indico: Ad Theologos enim Evangelicos commodè pertinet, præsentiam Pontificis Romani infallibilitatem destruentes. Ex his singularem meretur laudem B. DN. D. Danhauerus in *Theologia Conscientiaria Tom. I. Pr. 2. Dialogo 2. n. 4. p. 353.* & D. Henricus Schmidius in *Tr. de Cathedra Petri s. infallibilitate Pontificis.* Denique tertia hypothesi admodum lubrica est: atque hinc evertitur instantia, à peccatis puræ omissionis, oblivionis, ignorantia & similibus, deprompta. Sic præsidium autoritatis humanæ evilescat, & quisque Augustinum sequatur, ab eo dehortantem egregiè in epist. 18. Quantalibet alii sanctitate doctrinae polleant, non ideò verum putem, quia illi sic locuti, sunt, sed quia mihi vel per auctores Canonicos, vel alia probabili ratione, quod à vero non abhorreant, id persuadere poterunt. Quemadmodum Jctus loqui sine Lege erubescit *Novell. XIII. cap. V.* ita Philosophus Moralis sine ratione asserere, nihil aufit. Nul- lum enim testimonium humanum est necessariae veritatis: licet certos gradus ferat, quibus alterum putatur altero esse firmitus: Rectè igitur ad officia hominis erga seipsum refert Celeberrimus DN. D. Thomasius in *Jurisprudentia Divina L. 2. c. 2. §. 65.* hoc præcepto usus: Rationem magis, quàm autoritatem sequere. Enimverò quot ejus cultores extant! Maxima ferè pars eruditorum fascino humanæ autoritatis capta, libertatis suæ prorsus obliviscitur. Inde prodiit illa auctorum legio sæpè in unius casus decisione deprehensa, tam fecunda sententiarum nubes in necessaria morum directione. Non inopia, sed copia plerique deficiunt. Facilis hæc enarratu, sed excusatu difficilis. Intellectus apud ejusmodi discipulos est mancipium alienæ libidinis. Tantæ sunt vires autoritatis humanæ, ut arcem cœli invadat. Cum tamen Deus mentem constituerit dominam actionis humanæ: Equidem judico duram, sed maximè veram, quam fert Henricus Alstedius, Theologus insignis in *C. C. cap. V. p. 67.* sententiam: Genus, inquit, idololatriæ est jurare in verba Magistri. Adeò id, quod Deo soli proprium, transfertur in hominem. De illo



illo sufficit: ipse dixit. Nam ipse, veritas est infallibilis. Sed Doctore morum nunquam tribuendum erat tanta fiducia. Homo est: Ergo fallaciae obnoxius. Natales hujus opinionis respicienti, statim occurret Gentilismus: In illo viguit cum secta Pythagorica, non æquè cum ipsa occubuit. Quamdiu superbi sunt inter Philosophos, tamdiu hæc durabit persuasio. Nævus certè est, non Philosophiæ, sed Philosopho imputandus: nec tamen cuilibet, sed simulato. Verus enim Philosophus τῆ φύσει φίλος ἑαυτοῦ καὶ συγγενῆς τῆς ἀληθείας describente Platone in *L. 6. de Republica*. Veritas autem per sectas dispersa est, nec ulla erit quantacunque etiam puritatis gloria sese extollat, quæ omne verum viderit Hugo Grotius in *Proleg. de J. B. & P. §. 42*. Opinionibus ubique præferatur veritas, quoscunque tandem habeant auctores & assentatores. Diligendi sunt amici, non simul diligendi sunt eorum errores, si qua probabilitate sese commendent Joh. Magirus in *Ethic. Aristot. L. 1. cap. 6. p. 46*. Qua de causa opportunè monuit Lactantius in *L. 3. Instit. Div. cap. 13*. Non trahamur auctoritate cujusquam, sed veritati potius faveamus & accedamus.

§. II.

Ex his demum intelligere licet scopum, quem sibi magna Probabilium Doctorem cohors præfigit. Nimirum, ut admissa probabilitate, quæ sese in solam auctoritatem unius alteriusve Doctoris resolvit, à libidine hominum, non integritati vitæ, sed commodis suis velificantium, mens hominum ita suspendatur, judice Illustri Dn. de Pufendorff in *lib. I. de J. N. & G. cap. 3. §. V*. Ferè alius non est finis, quam ut illarum opes, potentia & auctoritas quantum possibile augeatur, Severinus de Monzambano *de Statu Imperii German. c. 8*. Quo nomine morum Doctrina postea subvertitur, conscientia turbatur & spuria ratio status promovetur. Ore religionem crepant, corde regionem desiderant. Quod igitur de Canonistis jam suo tempore conquestus est Bartolus *ad L. 1. C. de oper. libert. n. 8*. Scilicet, quod hi omnia ad suum imperium, suaque molendina trahere cupiant, id

id longe verius de Moralists dicendum erit. Illexit autem eos bona, sed malè intellecta sententia: Discipulum oportet credere Doctori suo: Siquidem ad illos spectat, res nondum apprehendentes. Quam primum verò quis rerum conditionem ex ipsa natura percepit, non amplius propter auctoritatem Doctores, sed quia in natura rerum se ita habet, sentit, ut adeo fides, quæcunq; ab adultis docentibus tribuitur, propter rationes tribuenda sit. Sed surdis hæc n<sup>o</sup> narrârunt fabulã, singulos ab eo retrahentes, ad quod tamen præceptum ipsius Ignatii Lojola tam arctè eos obligavit: Ita enim de virtute obedientiæ hic præcipit, id ipsius Dei præceptum esse, & voluntatem, hinc ad ea faciendã, quæcunq; ipse dixerit cæco quodam impetu voluntatis, parendi cupidæ, sine ulla prorsus disquisitione feramini. Vid. Petrus Maphæus *de vita Ignatii Lojola L. 2. cap. 9. Auctor Patr. Jesuit. p. 38.* B. D. Danhauerus *in Hodomor. Pap. Phantas. I. p. 267.* & D. Giesbertus Voërius *Tom. 4. Disp. Select. de Cæca Papistarum Obedientia.* Propter nemo miretur cur Verricellum *in 29. Moral. Tom. I. Tr. 2. quest. 5.* non puduerit, palàm profiteri: quamvis opinio falsa sit, posse quemlibet tuta conscientia illam practicè sequi propter auctoritatem docentis. Meliora Gentilis Philosophus, Seneca *in Epist. 58. in fin.* docuit: Inter causas malorum nostrorum est, quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur.

§. III.

Neque norma socialis vitæ est bona intentio, sive de certitudine sive de sufficientia quis sollicitus esset. Nihilominus propter opera electitia illam, ut regulam actuum moralium receperunt Pontificii, & sedulò defendunt Almainus *Tr. 2. Moral. C. 1.* Gregorius de Valentia *Tom. 2. disp. 3. quest. 2. punct. 1.* Adamus Tannerus *Tom. 2. disp. 2. quest. 3. n. 20.* Cum verò certum sit, naturam actus boni ex omnium circumstantiarum, legi conformium concursu æstimandam esse; satis apparet bonam intentionem non sufficere. Etsi hæc adsit; una tamen circumstantia prava, totam actus bonitatem evertit. Tutissima hinc est regula: Bonum ex integra causa nasci; malum è quolibet defectu. Dn. de Pufendorff *de J. N. & G. L. 1. cap. VII.*

§. 4.

§. 4. Neque est, quod quispiam obtendat, mala desitura esse mala, quando per ea bonum intendatur. Sanè eo concessio nulla mala erunt amplius mala, sed omnia bona: quoniam Deus providentia sua in bonos fines singula dirigere, semper intendit. Adeo bonus est Deus, ut nihil mali permittat, è quo majus elicere bonum, non norit, teste Augustino *L. 22. Contra Faustum c. 83.* Consentiente etiam D. Gerharo *in Disputat. LL. Theolog. Isagog. XXII. cap. IV. §. 9. p. 835.* dum ita disserit: finis permissionis divinæ est majoris boni sequela. Sed omissa quoque hac responsione, adhuc aperte falsum est, quod bona intentio possit bonam reddere actionem; quia mala intentio pariat actionem malam. Nam dispar ratio, disparem profert eventum. Ad bonam, omnium circumstantiarum rectitudo, necessaria est; in mala, unius tantum malitia sufficit, ceu modo dictum est. Conf. Jesuita Doctissimus Drexelius, *Lib. 1. cap. 4.* Henricus Velftenius *Cent. 1. Dissert. Ethic. Decad. X. quest. 7.* DN. de Pufendorff. *in Elementis Jurisprudentiæ Universalis Lib. 1. def. 16. §. 2.* Robertus Sanderson *in Tr. de Conscientia Prælect. §. 4. cum seqq.* Qui igitur ex intentione gloriæ divinæ ad illicita perpetranda fertur, non meretur excusationem. Sic ex injustè partis templum exstructurus ab intentione bona nullam laudem consequetur. Pariter ex intentione majoris boni promovendi, non licet erumpere ad peccatum committendum. Inde res alienas furripienti, ut extremè pauperi ferat auxilium, nunquam ignoscimus. Siquidem præbet speciem mali lucri, qui ex alieno largitur & beneficii debitorem sibi acquirit *Gajus in L. 54. §. 1. ff. de Furt.* Secus esset, si tempore necessitatis & famis extremæ aliena subtraheret esculenta, propterea furti non tenebitur *Hugo Grotius de J. B. & P. L. 2. c. 2. §. 6.* DN. de Pufendorff *de J. N. & G. L. 2. c. VI. §. 7.* Andreas Gailius *Lib. 1. O. 142. fin.* D. Matthias Wesenbecius *de furtis n. 15.* Spuria hæc morum norma etiam Hugonem Grotium seduxit *in Libr. 2. de J. B. & P. cap. 1. §. IV. & V.* ut putaret, innocentes, qui interpositi defensionem aut fugam invasi, sine qua mors evadi non potest, impediunt, transfodi aut obteri posse. Cum bona intentio defensionis suæ ejusmodi actum faciat licitum. Enimverò

B

bona



bona intentio parùm prodest, nisi adsit facultas moralis agendi, quæ adversus innocentem sine culpa sua interpositum prorsus nulla est Joh. de Lugo de *J. & J. Disp. X. sect. V. n. 129.* DN. D. Mauritius de *Vita defensionis favore §. XXII. p. 917. 918.* DN. de Kulpis in *Collegio Grotiano Exercit. 2. §. 3. p. 23. & 24.* Joh. à Felden in *notis ad Hug. Grot. p. 98. & 99.* DN. D. Joh. Eisenharth. de *Moderramine inculpatæ tutela cap. 3. 4.* DN. Hedingeri *Consp. Jur. Natur. Tit. 4.* Pariter ex intentione bona proprecidium Raziæ excusare enixè student Thomas de Aquino 2. 2. *qv. 64. art. 5. & 6.* & Dominicus à Soto *L. V. de J. & J. qv. 1. art. 5.* minimè expedientes, quod hæc tantum à dolo excuset, non à culpa: etiam ab hac tantò minus, si actus in se vitiosus est: quia nulla intentione faciendæ sunt mala, ut bona eveniant. Damna autem Ecclesiæ, quæ redundant ex hoc errore, non moramur. Labor hic illius Ministris debetur. Testimonio tantùm B. DN. D. Chemnitii *LL. Theolog. Pr. I. p. m. 22,* nos contentos esse oportet. Hæret, inquit, omnibus temporibus illa perversa opinio in animis hominum, quacunque religione quis Deum colat, modò id faciat bona intentione, æquè Deo placere.

§. IV.

Frustrà etiam Theophilus Raynaudus in *Philosophia Morali dist. 4. qv. 1. art. 3.* pro norma actuum moralium venditat iudicium Prudentum; cum tamen hoc ad illam exigendum sit. Procul dubio ipsum Peripateticorum sententia in hunc errorem præcipitavit, quæ formam virtutis in mediocritate, prout à viro prudente definitur, ita collocat. Sic Aristoteles ipse docet in *L. 2. Nicomach. cap. VI. it. Lib. VI. cap. 2. Magnorum Moralium Lib. 1. cap. IV.* Franciscus Piccolomineus in *Philosophia Morali Grad. IV. cap. V.* Bartholomæus Keckermannus *Lib. 1. System. Ethic. cap. 2.* Gvilhelmus Scribonius *Lib. 2. Ethic. cap. 1.* Joh. Rodingius in *Ethic. lib. 1. cap. 2.* Henricus Julius Scheurlius *Dissert. XI. §. 14. & XIII. Philosophiæ Moralis §. 44. seqq.* Joh. Magirus *Lib. 2. Ethic. Aristotel. cap. 8.* Riccobonus in *Lib. 1. Ethic. Aristot. cap. 10.* Conimbricens. *Disp. Ethic. 7. qv. 3. art. 1.* Eustachius à S. Paulo in *Ethic. Tr. 3. quest. 2.* Bernhardus Morifanus *Commentario in libros Ethic. Aristotelis Disput. V. Dub. 3. p. 697.* Verùm spuriam hanc  
morum

morum normam dextrè explodit D. Amesius in *Medulla Theologiae* L. 2. c. 2. §. 14. p. 203. quod tales prudentes nusquam existant, quorum iudicio semper stare possent virtutum cultores: neque si essent, ab iis semper dignosci vel consuli possent. Neque iudicium viri prudentis tanquam norma sustineri potest vulgari distinctione inter normam remotam & proximam, seu, ut alii loquuntur, mediatam aut immediatam: quorum illa sit jus naturale; hæc verò iudicium viri prudentis. Ita enim conceptus rerum non distinguuntur, sed confunduntur. Cum iudicium viri prudentis nihil sit aliud, quàm normæ applicatio. Sanè nullus artificum iudicium de idea operis producendi pro ipsa idea, sive proxima sive immediata, agnoscit, quod tantum ejus apprehensio, & ad usum destinatio est. Notitia rei non est res ipsa, nisi quis actum ipsa re miscere velit. Sic normæ apprehensio nequit esse norma. Actus quidem sincerè bonus non est absque hoc iudicio: quia actus humanus est, qui velut prælucente intellectu ac decernente voluntate suscipitur DN. de Pufendorff in *Lib. 1. de O. H. & C. cap. 1. §. 2.* sed normam ex isto iudicio sibi conficere non licet, quamdiu errare ac fallere poterit.

§. V.

Sola igitur Lex naturæ vera & genuina est norma actuum moralium. Rat. (1) ob infallibilitatem: quia Legis divinæ species est. E divino quidem beneplacito ab initio illa sic formata est, sed firma ac immota persistit, cum simul ab humanæ naturæ conditione dependeat. Quamdiu hoc, tamdiu etiam Lex naturæ perdurat B. DN. de Pufendorff *L. 2. de J. N. & G. cap. III. §. 18.* Illustris DN. de Rhetz in *Meditat. Instit. Dissert. III. Pos. VI. p. 36.* Nullus hominum hanc inscribere potuit: quia nec Dominus, nec scrutator cordis est. 2) Ob evidentiam, tum ratione fundamenti sive incomplexi, quod socialitas est, sive complexi, quod remotè est principium primum practicum, imperanti parere, proximè tale erit: Quæ cum natura hominis sociali necessariò conveniunt, sunt moraliter bona; quæ verò disconveniunt, sunt moraliter mala, tum ratione connexionis singularum conclusionum cum ipso fundamento

damento, quæ ferè palpari possunt iudice DN. D. Thomasio  
*in Instit. Jurisprud. Div. Lib. 1. cap. IV. §. 6. p. 122.* Sic nemo læden-  
dus est: quia læsio turbat societatem, cum naturalem violet  
æqualitatem, alteri vel auferendo bonum debitum, vel infe-  
rendo malum, non promeritum. 3) ob sufficientiam, quia  
omnes omnium virtutum & vitiorum moralium actus præci-  
pit, & prohibet. Nunquam scripto comprehensa est Lex na-  
turalis, atque ita neque audiri, neque legi potest. Unde fit, ut  
verba ejus non intelligantur, & nunquam hoc eveniat, quod in  
humanis Legibus crebrò contingit, quod plus aut minus sit  
scriptum, quàm dictum. Si quis igitur naturam audire vult,  
totum ejus dictamen animo concipere debet omnesque cir-  
cumstantias addere, & conditiones rei cohærentes (quæ in  
aliis LL. limitationes vocantur) quibus omnibus positis Lex  
naturalis primùm obligare incipit Gvilielmus Grotius *in En-  
chiridio Juris Naturalis cap. III. §. IX. p. 44. & cap. XI. §. III. p. 177.*  
Quamquam hæc clarè probarent jus naturæ esse normam actu-  
um moralium; olim tamen & nunc fuerunt, qui gravissimè  
dissentirent. Inter Gentiles Carneades est, quem Grotii re-  
futatio jam pridem compescuit *in Proleg. J. B. & P. §. V.* Post  
hunc Gvilielmus Occam è Scholasticorum turba eandem opi-  
nionem tuitus est *in sentent. 2. quest. 19.* Utrique verò Thomam  
Hobbesium, Malmesburiensem Philosophum, arctè conjun-  
gunt gravissimi morum Doctores, Petrus Gassendus *de Philoso-  
phia Epicuri Tom. III.* & DN. Samuel de Pufendorff *in Elementis  
Jurisprudentie Universalis L. 2. O. 3. nec non B. D. Mauritius de Prin-  
cipis Juris Publici Grrmanici cap. IV. sect. 2. §. XV. p. 65.* Quod si ve-  
rò mihi fatendum, quod res est, non tam jus naturæ negavit  
Hobbesium, quàm usum ejus felicem, scilicet secundum execu-  
tionem, impugnavit extra civitatem, quod in *Prefatione Ele-  
mentorum de Cive* lectori luculenter aperit, dum eos laudat,  
qui ostenderunt rationibus firmissimis, doctrinam de justo  
& injusto, bono & malo, præter Leges in unaquaque civitate  
constitutas, esse nullam. Dura hæc sunt, sed meliorem senten-  
tiam de Thoma Hobbessio, concipere, & si quis nævus illi ad-  
hæret, abstergere hunc jubent ea, quæ habet *in Tr. de Homine,*  
in

in isto disertè *cap. 14. tb. 5.* scribit: Deum eo ipso, quod homines fecerit rationales, ipsis mandata quædam præcepisse, ac cordibus omnium hanc Legem inculpasse, ne quisquam faceret quicquam, quod alium sibi facere, iniquum duceret. Satis de Thomæ Hobbessii qualicunqve innocentia. E re etiam est, rationes trutinare dissentientium [1] jus naturale, dicunt, non esse verum jus: quia ejus fundamentum non est utilitas, Hugo Grotius *in Proleg. de J. B. & P. §. XVI.* Enimverò à quibus negatur, utilitatem fundare jus naturale: hi de temporaria, non perpetua; de privata, non publica utilitate loquuntur. Propria enim singulorum utilitas parit confusionem, nisi uniformi quodam & publico fine coërceatur, vid. Grotius *de J. B. & P. L. 2. c. XII. §. 9.* DN. de Pufendorff *de J. N. & G. L. 2. c. 3. §. 11.* Sic ædes, peste infectas, qui alteri vendit, prospicit utilitati suæ; non tamen publicæ, ob periculum contagii: Adeoq; illa ad tempus durat, donec fraus fiat aperta, tunc damno & malo maectat venditorem. Quemadmodum igitur in Republica utilitas publica præfertur privatæ, ita in societate etiam totius generis humani utilitas communis debet esse norma utilitatis privatæ & singularis. Hoc pacto omne honestum est utile, nimirum communi utilitate; tametsi non omne quod utile, putà privatis, statim foret honestum. DN. D. Thomafius *in Instit. Jurisprud. Div. Lib. 1. cap. 2. §. 96.* Neque studium utilitatis communis tantum in hominibus hæret, sed bruta etiam utilitates suas, partim foetuum suorum, partim aliorum sibi congenerum respectu, aliquatenus temperant Hugo Grotius *in Proleg. de J. B. & P. §. VII.* Porro reus haud est stultitiæ, qui ob reverentiam alicujus juris, aliquando omittit utilitatem propriam: Ceteroquin & debitor quisque erit stultus, usuras promittens creditori, sibi perinde utiles, aut subditus, dum tributa solvit. Denique juris naturæ cultores non stultitiæ, sed sapientiæ convincuntur: cum malint naturam sequi & commodis propriis interdum carere, quàm illorum desiderio & conquisitione rescindere tranquillitatis propriæ munimenta. Conf. Benedictus Wincklerus *de Principiis Juris L. 2. cap. IV.* Sanè commoda nostra aliorum commodis coordinanda

da sunt, imprimis autem commodo generis humani subordi-  
nanda. Ubi hujus læsio, ibi juris naturalis simul violatio est. (2)  
Jus naturale metu accipiendæ injuriæ non esse inventum; Ergò  
nec verum jus fore, tantū abesse, ut norma sit actuum moralium.  
Sed iste metus ad ea duntaxat instituta & leges pertinet, quæ  
ad facilem juris executionem reperta sunt Hugo Grotius *de*  
*J. B. & P. Proleg.* §. 19. uti sunt sanctiones pœnales. Nam nuda  
juris naturalis præcepta non sufficiebant coërcendæ homi-  
num malitiæ Pufendorffius *de J. N. & G. L.* 2. c. III. §. 11. Quos  
igitur virtutis amor non emendat; metus tamen acerbioris  
pœnæ deterret. Unicus enim hic pœnarum finis est, scilicet  
absterrere à delinquendo, juxta Celeberrimum DN. D. Henri-  
cum Coccejum *in Disp. de Jure Tertii Coroll.* 9. Etsi jus naturæ  
genera pœnarum minimè præscribit, Gvilielmus Grot. *in En-*  
*chirid.* J. N. c. 4. §. 5. & 6. nihilominus vigorem suum retinet,  
quæ infra pluribus tradentur.

§. VI.

A Deo quidem Lex naturæ est; non tamen typus legis  
æternæ, quam Scholastici non solidè probant, sed nimis au-  
daçter fingunt, Thomas de Aquino *Pr. 2. 2. quest. 21. art. 1.* Mar-  
tinus Becanus *Pr. I. Theolog. Scholastica Tr. 3. c. 7.* Angelus de Cla-  
vasio *in Summa C. C. sub voc. Lex p. 309.* Joh. de la Cruce *in Directo-*  
*rio Conscientiæ Pr. I. art. I. §. 1. p. 2.* Didacus Ruiz de Montoya  
*Disp. LVIII. sect. 6.* Albertinus *Tom. I. Th. Scholast. quest. 18.* Marti-  
nus Esparza *de Artieda L. 3. de Actionibus Moralibus quest. 19.* Fran-  
ciscus de Lugo *Disp. XXXVI. de Deo.* Franciscus Suarez *in Opusc.*  
*de Justitia sect. 4.* Henricus à Gandavo *Quodlibet 2. quest. 12.*  
Pleriq; horum seducti fuerunt à Præsule Hipponensium, Augu-  
stino, *in Lib 22. contra Faustum Manicheum cap. 27.* definiens pec-  
catum per id, quod est contra legem æternam. Tutius verò  
hujus Patris opinio prætereunda, quàm amplectenda fuisset.  
Cum Legis auctor semper sit imperans: Neque dubitatio su-  
peresse potest, dummodo singulæ leges inspiciantur. Sed ni-  
hil par Deo, tantum abest, ut quicquam esset superius imperio,  
propter independentiam suam. Deficiente igitur Legislatore,  
deficit Lex æterna Vid. DN. D. Christianus Thomasius *in Ju-*  
*prud.*



*risprud. Divina Lib. I. cap. I. §. 31. & cap. II. §. 74. not. (b) cap. III. §. 5. item cap. IV. §. 8. not. (o) §. 21. & 22. Videtur etiam Hugo Grot. hic defecisse à Scholasticis in L. 2. de J. B. & P. c. XI. §. IV. n. 1. Deum, ait, nulla constituta Lege obstringi posse. Hinc ipsi assertores hujus Legis fateri coguntur, Legem æternam esse improprie Legem, Balthasar Meisnerus in Tr. de LL. p. m. 25. Rat. (1) quia eadem hæc Lex esse debet cum legislatore suo: cum nihil in Deo sit nisi ipse Deus (2) quia carebit obligatione. Quodsi enim Deum obligaret, ipse desineret esse ens liberrimum: Certè omnis obligatio est privatio libertatis in agendo. In Deum verò non cadit ulla privatio. Quibus serio expensis impugnatores legis æternæ liberantur ab atheismi suspicione temerè inserta DN. M. Georgii Lani *Dissertationi Politica de SEX speciebus juris §. IV.* Ita nil imperfecti Deo tribuitur, sed ipsi summa sua libertas piè asseritur. Pariter opus non habuit Illustris quidam Antecessor juris B. Sam. de Pufendorff. incomparabilis morum Doctoris doctrinam, velut lubricam rejicere, quam hic profitetur in *Lib. II. de J. N. & G. Cap. I. §. 3. p. 133. & Cap. III. §. 6. p. 106.* dum ait: DEus naturæ legibus tanquam ens liberrimum non tenetur, nec lex sibi est, nisi ex proprio beneplacito. Ulterius pergens idem vir Illustris censura sua, non veretur adjicere, hanc sententiam B. Puffendorffii in casses Vorstii sequaces conjicere, utpote qui voluntatem & essentiam divinam realiter distinxit. A quo errore immunem fuisse Puffendorffium vel ex solo *Lib. I. de O. H. & C. cap. IV. §. 5. p. 53.* patere potuisset: Ubi candidè monet, DEum nec partes habere, nec totum rectè dici: quia hæc attributa finitorum sint entium: veruntamen realis distinctio non est, nisi totius. Itaque è distincta Puffendorffii de DEO cognitione nemo inferre potest realem separationem aut distinctionem. Quemadmodum ipse Vir Illustris non separat justitiam divinam à veritate, tametsi non per illam, sed per hanc DEUM promissorem hominibus obligari, perspicuè defendat. Jus verò in DEO æternum & immanens quoddam, juxta quod velle non possit, quod juri illi ac essentiæ suæ repugnat, ideò admittendum haud est: quia DEUM reddit sibimetipsi obnoxium. Nam DEus à seipso & sua essentia obligaretur, seipso  
supe-*

superior & inferior, quod valdè implicat. Siquidem quælibet obligatio præsupponit superius & extrinsecum principium, quod libertatem constringat. Tale ne fingere quidem licet de DEO. Quam ob causam servat promissa non ex obligatione legis æternæ, uti vult Vir Illustris, ita ejus libertas foret circumscripta, nec amplius infinita, sed ex infinita sui perfectione, cui planè repugnat fallere: quanquam summum jus in homines habeat, quia infirmitatis nota est, ad hoc confugere, Grotius de *J. B. & P. L. 3. c. I. §. XV.* Hinc Celeberrimus Theologus Dn. D. Osiander in *Theologia Cas. cap. I. de Just. & Jur. p. 6. inquit: Si DEus privaret beatitudine hominem esset injustus non læsione juris, sed violatione veritatis, promissionis & fidelitatis: Interim jus naturæ non potest intelligi sine DEO; bene tamen DEus sine jure, naturæ suæ coævo.*

§. VII.

Genuinum verò Juris naturalis, tanquam normæ actionum moralium, fundamentum est, socialitas. Illustris DN. Samuel de Pufendorff in *Jurisprudentiæ Univers. Element. O. 4. §. 4. 5. p. 40. seqq. L. 2. de J. N. & G. c. 3. §. 15. seqq. in Specim. Controvers. c. IV. & in Apolog. §. 23.* Quocum consentit Celeberrimus DN. D. Nicolaus Hertius in *Dissert. ad L. 3. ff. de J. & J. in,* qua egregiè defendit socialitatem primum juris naturalis esse principium. Imprimis id evincunt singula fundamenti requisiti (1) ex solo rationis lumine innotescit ejus veritas; (2) à quolibet admittitur, quamcunque circa religionem habeat persuasionem, (3) omnia juris naturalis præcepta in se complectitur, ut ex socialitate facile deduci, in eamque feliciter reduci possint, Illustris DN. de Kulpis in Collegio Grotiano *Exerc. I. §. IV.* Ita ferente etiam socialitatis indole, quam exhibet DN. D. Thomafius, perspicacissimus juris naturalis interpretes in *Instit. Jurisprud. Div. Lib. I. cap. IV. §. 55. p. 138.* Socialitas, inquit, est inclinatio communis, humano generi à DEO indita, vi cujus desiderat vitam cum aliis hominibus tranquillam & beatam. Homini hanc convenire adversus Hobbesium masculè demonstrat Richardus Cumberlandus in *Tr. de LL. naturæ cap. II.* DN. D. Samuel Andrea, Theologus Marpurgensis, fama inclytus, in *Disput.*

*Spit. Polit. de fundamentis Politicae Hobbesiana Sect. I. p. 10. -- 39.* Neque nostrum est, prolixè ea repetere. Sanè ipse Hobbesius mentem mutat, causæ suæ diffusus, cum in *Leviath. cap. 13.* dicit: tempus nunquam fuit, in quo unusquisque uniuscujusque hostis erat. Relicto itaque Hobbesio, nos convertimus ad eos, quibus volupe est, negare socialitatem esse fundamentum, è quo probetur jus naturale. Hi magno prodeunt numero. Robertus Scharrockius *de officiis secundum jus natura cap. 2. §. 10.* B. DN. D. Zigler: *in Not. ad Proleg. Grot. p. 6.* DN. D. Joh. Adam Osiander *Pr. II. Typ. Leg. Natur. §. 72.* B. D. Valentinus Alberti *in Praefat. Compendii J. N. DN. D. Valentinus Velthen, in duabus Disput. contra DN. Pufendorffium editis & in Introduct. ad Hug. Grot. cap. I. & II.* DN. Samuel Strimesius *in Tr. de Fontibus Moralibus Disput. III. p. 98. cum seqq.* B. D. David Mævius *in Prodro-mo Juris naturae Inspect. 3. §. 13.* Cum verò omnes suis instructi sint rationibus, quibus DN. Pufendorffii sententiam impugnant: Ideò in tanta copia, præstat uti selectu. Solùm illas proferemus, quæ absurdi quid affricare potuissent. Dicunt (1) Latrones colunt societatem; nec tamen sunt juris naturalis cultores. Resp. Societas confundenda non erat cum socialitate: Illa demum societas recta est, quæ non adversatur socialitati. Secus est in latronum societate, qui criminis causa sociantur Grotius *L. 2. de J. B. & P. c. XXVI. §. 3.* ac pravis suis facinoribus se à reliquo hominum genere disjungunt. Optimè Seneca *L. 4. de Beneficiis c. 17.* Dic cuilibet ex istis, qui rapto vivunt, an illa, quæ latrocinii & furtis consequuntur malint ratione bona pervenire? Optabit ille, cui grassari & transeuntes percutere quæstus est, potius illa invenire, quàm eripere. Et eorum cœtus cum sine jure conservari nequeat, quantò magis magna illa mundi societas, universum genus hominum complexa, jure suo opus habebit. (2) Officia erga DEum, erga seipsum & erga bruta nequeunt derivari è socialitate. Resp. Officium erga seipsum propriè non datut: quia nemo sibi metipsum obligatus esse potest Zwingerus *in Proleg. Ethic. Prolog. 2.* Nicolaus Reusnerus *in Ethic. Philosoph. & Christ. cap. 2. quest. 2.* Christophorus Neander *in Tr. Ego ipse quest. 1. p. 41.* Ergò nec debet propriè sibi officium. Sed ita vocatur, quod occasio

C

ne



ne sui ipsius homo DEO & aliis hominibus teneatur. Imprimis DEO, à quo vitam quivis accipit velut depositum. Unde vitæ tutor, non tortor constitutus est. Et qui vitam sibi adimit, fidem DEO datam violat. Antonius le Grand. *Pr. X. Instit. Philo-  
phia art. 24. n. 3. p. 1128.* Aliis autem hominibus socium subtra-  
hit. In Civitate vel præsidium, si bonus est; vel exemplum  
justæ pœnæ, si malus & seditiosus. Joh. Nordemann *De jure Princ.  
th. 94.* Porro officia circa bruta & reliquas DEI creaturas pro-  
pter similitudinem huc transferuntur: cum aliàs certum  
sit in bruta non cadere amorem amicitiae: Ergo nec offi-  
cium secundum amorem, hunc ipsis propriè præstandum.  
Friedericus Hornius *de Subjecto juris naturalis c. 7.* Gisbertus Voë-  
tius *Disp. de Dilectione Proximi §. 3. Probl. 9. Conc. 4. p. 118.* DN. D.  
Ursinus *de ἐπιχαρπανία cap. I. §. 33. p. 54. & 55.* Propterea  
verò rectus creaturarum usus non aufertur, tum ratione DEI, ut  
in ejus gloriam has convertamus: tum ratione nostri, ut ad dotes  
animi & sanitatem corporis conservandam dirigamus: tum ra-  
tione proximi, ne is temerè turbetur in creaturarum usu. Denique  
ad DEum, tanquam finem ultimum, pervenio. Erga ipsum  
officia, quæ occupantur, ratione cultus externi ad Theologiam  
moralem pertinent: quia omnis religio juxta cultum externum  
est revelata, neque ulla viget in toto terrarum orbe, quæ in re-  
velatione sive vera, sive ficta sese non fundaret. Sic Turcica  
revelationibus Mahumedis, Ethnica tot oraculis, Christiana  
& Judaica sacris literis, se commendant. Vid. DN. D. Baier. *in  
Disput. de Propagat. religionis per revelationes fictas.* Ratione au-  
tem cultus interni ad jus naturale spectat, sed ibi DEus confide-  
ratur, tanquam autor socialitatis. (3) Hoc fundamento nixi  
favent Monarchomachis, quasi licitum putarent ob facilitatem  
è medio tollere Regem, si in Rempublicam peccaret: Utilitatem  
enim societatis, si ad hanc potissimum intendamus, perquam  
facile nos decipere. Resp. Quæso, quid hoc aliud est, quam  
perversa & detorta socialitatis applicatio & explicatio. Neque  
enim societatem particularem hîc intelligimus, sed illam, quæ  
universum genus humanum continet. Abs qua nulla civitas,  
securitas Regum nulla esset, tantum abest, ut eam destruat. Nam  
obli-

obligatio ad beneficiendum, & non nocendum alteri cuius non quidem actu; benè tamen aptitudine universalis est, & ad totum genus humanum sese porrigit: aliquoties impeditur defectu occasionis, quæ sæpius expectanda, non captanda est. vid. DN. D. Nicolaus Hertius in *Disp. Cit. Sect. 2 §. 3.*

§. VIII.

Cæterùm Lex naturalis per dictamen rectæ rationis quidem demonstratur; minus tamen rectè definitur à Gregorio de Valentia in *1. 2. Sentent. quest. 94. art. 1.* quem sequuntur Hugo Grotius de *J. B. & P. L. I. c. I. §. X.* Hugo de Roy de *eo, quod justum est, Tit. 3. pag. m. 24.* & Arnoldus Geulinx in *Ethica Tr. I. c. 2. §. 1. p. 47.* Rat. (1) quia consilia prudentum etiam sunt dictamina rectæ rationis. Non igitur omne, quod ratio iudicat honestum, juris naturalis præceptum est. Sic jus est persequi hostem suum usque ad internecionem, sed consilium naturæ dicitur, pacis remedia non spernenda esse. Qui ea omittit, non immediatè; veruntamen mediatè ipsum jus naturæ violat: quoniam omni reconciliatione prorsus rejecta, juxta hoc exemplum, totum genus humanum fœdis latrociniiis se consumet DN. Reinhardus Hedingerus in *Conspect. Juris naturalis p. 43.* (2) Quia dictamen non facit, sed indicat jus naturæ. Lex enim iustum est. Adeoque Legis virtus in imperando consistit (*L. 7. ff. de LL.*) (3) quia quodlibet dictamen rectæ rationis est actus transiens. Jus verò naturæ est constantissimum. DN. D. Joh. Adam Osiander in *Theologia Morali Pr. general. c. XI. §. V. in Annotat. ad Hug. Grot. th. X. O. I. p. 175.* Richardus Cumberlandus de *Leg. Natur. c. V. p. 185.* Hinc est, quod Hugo Grotius in *Polog. de J. B. & P. §. XI. ex Thomæ de Aquino 1. 2. qv. 71. art. 6.* & Gregorii Ariminensis *2. Dist. 34. qv. 1.* imprudenter asseruerit: etiamsi quis daret, DEum non esse, aut non curari ab eo negocia humana, quod tantundem valet, si moralem effectum respicimus, quàm DEum negare Hugo Grotius de *J. B. & P. L. 2. c. XX, §. XLVI. n. 2.* nihilominus Legem naturæ obligare homines. Nimirum per rectæ rationis dictamen: Ab hoc excusationem petunt Grotianæ opinionis B. DN. D. Volckmar Bechmann in *Instit. J. Pub. Axiom, I. & B. DN. D. Joh. Georgius Simon*

*in, Præsid. Academ. Dissert. II. cap. I. §. 1. seqq.* Verum nil profi-  
 ciunt: quia recta ratio est, quasi radius divinæ mentis DN. Sa-  
 muel Strimesius in *Praxiologia Apodictica cap. IX. §. 3. p. 231.* Ne-  
 que recta esset in moralibus, nisi Lex à DEO ei esset inscripta.  
 Vid. Marcus Friedericus Wendelinus in *Philosophia Morali Lib. I. cap. III. §. 33. p. 203.* Joh. Stearne in *Medela animæ Lib. 2. cep. XV. p. 275.* Non parum ad perversæ hujus opinionis propagatio-  
 nem contulerunt omnes, qui cum Joh. Bodino in *Lib. I. de Re-  
 public. cap. 8. n. 102.* Discrimen excogitârunt inter Legem & Jus:  
 Jus sine jussu ad id, quod æquum & bonum; Legem ad impe-  
 rantis majestatem pertinere. Adeoque solius esse summæ po-  
 testatis jussum statuere. Hinc eò abducti plures negârunt jura  
 naturalia, propriè dictas esse Leges. Vid. Reinhardum Königium  
 in *Theatr. Polit. Pr. I. p. 395.* Qua de causa Sacratissimi Imperato-  
 ris, Justiniani, judicium magni facimus, his verbis expressum  
 in *§. 11. Instit. de J. N. G. & Civ.* Jura naturalia divina providentia  
 constituta sunt. Cum naturalia dicuntur, includitur, non ex-  
 cluditur DEUS, tanquam summus mundi Imperator. Quid  
 enim aliud est natura, quam DEUS & divina ratio, toti mundo  
 & ejus partibus inserta. Seneca in *Lib. 4. de Beneficiis c. 7.* Appri-  
 mè huc collineavit Excellentissimus DN. D. Henricus Bodinus  
 in egregia Dissertatione Rhintelii habita, *de jure mundi.* Interim  
 ab illa Grotii opinione, quantum abhorruerit B. DN. Samuel  
 de Pufendorff satis declaravit in *Apologia p. 36.* Mihi, inquit,  
 fixum sedet, discrimen honesti & turpis à DEO, ejusque defi-  
 nitione & determinatione petendum, nec idem ab alio ex-  
 tra ipsum principio dependens fingendum esse. His probè ob-  
 servatis, describi potest: quod sit Lex divina cordibus homi-  
 num singulorum inscripta, eos obligans, ut hæc faciant, quæ  
 cum natura sociali, conveniunt, ista omittant, quæ eidem re-  
 pugnant.

§. IX.

Lex itaque naturalis in homines: non æquè in bruta cadit:  
 etiamsi circa hæc versetur. Nam bruta (1) carent ratione. Si-  
 quidem anima eorum in sola organorum dispositione & figura-  
 tione corporis consistit. Adeò, ut motus omnes, qui in eis  
 per-



peraguntur, à solo spirituum influxu, & membrorum debita compositione dependeant. Antonius le Grand. *in Instit. Philosoph. art. XVIII. n. 5. p. 752.* Animantibus pro ratione est impetus, ut hominibus pro impetu est ratio, Seneca *in Lib. 2. de Ira cap. 16 p. m. 18.* Quod modo fœtuum suorum, modo congenerum utilitatem appetunt, in illis procedit non ex principio aliquo intelligente intrinseco, sed extrinseco, quia circa actus alios, istis nequitiam difficiliore, uti circa fugam laquei, foveæ & similia, par intelligentia in illis non apparet Hugo Grotius *in Prolog. J. B. & B. §. VII.* Ubi sermo, ibi ratio. In mutis illum idonei gestus suppleant. Nihil horum in brutis deprehenditur. Verba quidem edunt Psittaci, voces articulant picæ, sed nostrum loquendi modum non assequi possunt; aliàs patefacere, se capere, quod homines pronunciant. Acres de brutorum ratione lites inter DN. Chanetti & DN. de la Chambre exortas, quorum ille Charronum de la Sageffe, livre premier, *cap. 34. m. 6.* istius sententiæ assertorem oppugnavit; hic vero ejus partes defendendas suscepit, nequitiam retexo. Et sic etiam cupidum lectorem ad Hieronymi Rorarii, Scriptoris Pontificii, duos libros, in quibus ostendere voluit, *animalia bruta ratione uti melius homine,* humaniter remitto. (2) Non possunt obligari: quia ipsorum natura præceptis uti generalibus non potest. Hugo Grotius *de J. B. & P. Lib. I. C. I. §. XI.* Benè Seneca *in Epist. CXXIV.* Mutum animal sensu comprehendit præsentia; præteritorum reminiscitur, cum id incidit, quo sensus admonetur: tanquam equus reminiscitur viæ, cum ad initium ejus admotus est; Tertium verò tempus, id est, futurum ad muta non pertinet. Sed leges de futuris omninò feruntur (*L. 7. C. de LL.*) (3) injuria non afficiuntur. Jus & injuria sunt opposita: Illorum verò unum est subjectum; etsi non uno & eodem tempore, vid. Valentinus Riemerus *in Quæst. Jurid. Illustr. quæst. 3.* Henricus Bessel *in Dissert. I. ad Jus ff. th. 2. p. 7.* B. DN. D. Mauritius *in Disput. de Principiis J. P. cap. VI. Sect. I. §. VIII. seqq. p. 55.* & Joh. Friedericus Hornius *de Subjecto J. Nat. cap. III. p. 34.* Quod si in brutis Jus naturale esset, justitia, beatitudo & societas ipsis conveniet, quæ absurda rectè putavit subtilissimus Jctus Reinhardus Bachovius in

correctione Treutleri sui occupatus in *Disp. I. ff. de J. & J. th. IV. lit. c. p. 14.* Qui propriè jus naturale in bruta cadere hæcenus defenderunt, secuti Georgium Lopez in *Liber. singular. Animadvers. cap. 2. n. 1.* Corasium de *jur. art. Pr. 2. c. 3.* Loriottum de *jur. art. Tr. 10. ax. X.* Stuckium *Exercit. Justin. Pr. I. Decad. I. assert. 4.* Arumæum *Disp. ad Instit. I. Exercit. VIII.* Ungepauerum in *Exerc. Justin. II. quest. I.* Jam pridem refutati, nunc obmutuerunt. Recentiores id maximè urgent (1) Bruta habere societatem: Ergò etiam in ea cadere propriè dictum jus naturæ: siquidem inter ea magistratus est: In apibus Princeps unus est *c. 41. c. VII. qu. I.* Grues unam sequuntur. Imago societatis cœpit incautos. Coetus est, non societas. Cum necessitates suas non intelligant, à quibus homines compelluntur in certas societates. Finem habent, sed privatum: Nihilominus communi destituuntur, in quo uniantur. Naturalis igitur amor, non socialis ea copulat. Ita apum Respublica, cujus etiam facit mentionem Hugo Grotius *Lib. I. c. 2. §. IX.* non est societas, sed tantum congregatio plurium foemellarum ad unum mare, celeberrimus DN. D. Becman in *Conspect. Polit. Cap. V. p. 19.* Accedit, quod semper confundantur, ea, quæ sunt à natura, cum his, quæ sunt à lege naturæ: illa ex illa inclinatione; hæc ex ratione dependent. Unde priora tantum in bruta cadere pertendit B. DN. D. Hermannns Conringius in *Disp. de Legibus th. XIV.* (2) Bruta invocare DEum juxta *Psal. 147. v. 9.* Ergò propriè dictum jus naturale in ea cadit: vid. Carolus von Hagen *Inst. J. Publ. Lib. I. cap. I. p. 7.* Sed enim qualis cognitio, talis est invocatio. Magis similitudine, quàm rei veritate. Quomodo invocabunt, in quem non credunt. *Rom. X. v. 41.* Vestigia sunt cultus divini in brutis; non ex jure dirigente, sed ex naturæ auctore impellente. Non leviter itaque moveri possunt homines ad ea præstanda, quæ bruta faciunt ex solo naturæ stimulo, & ad ea fugienda, à quibus etiam per naturæ impulsus abhorrent. vid. B. DN. D. Joh. Georgius Simon in *Notis ad Enchirid. Gvilielmi Grotii c. II. §. 12. p. 34.* Occasionem huic controversiæ veteribus dedit Philosophis partim cultus animantibus brutis exhibitus, partim Pythagoreorum metempsychosis. Cum igitur gentilismum sapiat tutius rejicitur, quam ulterius defenditur.

§. X. A



§. X.

A communitate actuum, ad communitatem juris N. V. C. Hugo Grotius de J. B. & P. Lib. I. c. I. §. XI. Ergò non licebit cum DN. D. Volckmaro Bechmanno in Comment. ff. Theoretico-Practico Exercit. I. n. 32. p. 10. Hugo de Roy de eo quod justum est Lib. 1. Tit. 2. & DN. D. Lederero in Dissert. de Jure bestiali, jus naturale distingvere in bestiale & humanum seu rationale: Sive ejus fundamentum à directione Dei, sive ab inclinatione naturæ petatur. Nam ratio, non instinctus jus facit, B. D. David Mævius in Prodrom. Jurisprud. Gentium Inspect. 2. §. 3. p. 54. Neq̄ sufficit ad subsistentiam juris, ut proficiscatur à ratione legislatoris, licet ea non insit in subjectis: quippe sine ea jus constitutum ad facta applicare nequeunt. Aliàs etiam plantis jus tribuere, permissum erit, ob conservationem suiq̄ propagationem, singulis cum hominibus communem. Hinc sobolis procreatio, maris & fœminæ conjunctio, & alia ejusmodi dicuntur esse brutis cum homine communia, non quod bruta jure utantur: sed quod nullo certiori argumento demonstrari potest, jus aliquod homini natura insitum esse, quàm si in brutis, quæ solo naturæ instinctu moventur, simulacra quædam, & quasi vestigia, ostendantur? Henninges Rennemannus in Jurisprud. Romano-Germanica Disp. IV. §. IX. p. 37. & B. DN. D. Joh. Rebhan in Hodegeta Juris Chart. 2. Clim. 1. §. 17. p. 49. prohibet, ne ex solis actibus & exemplis brutorum, jura naturalia dijudicentur. Quandoquidem actus dirigendi sunt ad normam ejus, quod justum est: non autem id, quod justum est, ad actus determinandum, ita consentiente Hugone de Roy in Tr. cit. Lib. I. Tit. 2. n. 2. Et quando bruta è medio tolluntur, quia fuerunt instrumenta humanæ malitiæ: Id non pœna est, sed usus domini humani in bestias. Hugo Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 21. §. 11. in fin. ne superstitibus indignam facti turpis refricent memoriam c. 4. c. XV. qv. 1. Æq̄ ac nemo terram dicet, propriè punitam esse, cum Deus propter lapsum Primorum Parentum ei maledixit Genes. III. 17. aut suppellectilia Achani comburi jussit Jos. VII. 25. Unde falsum est, quod patitur malum, id culpæ ac pœnæ statim fore obnoxium. Ludov. Dunte in Cas. Conscientiæ quest. 15. p. 261.

§. XI.

§. XI.

Quantquam non utuntur ratione infantes, furiosi & amentes; nihilominus juris naturalis sunt subiectum: quia rationales. Benedictus Wincklerus *de Jure naturali* c. IX. p. 72. 73. Joh. Fridericus Hornius *in cit. Tr. cap. IV. §. IX. & X.* Præsertim infantes, etsi nullum ipsis sit iudicium; mente tamen sunt integra Idem Iohannes Perez de Lara J. C. t. Hispanus *in Compendio vite humane* cap. XIV. n. 12. DN. D. Scheinemann *in Tr. de Tempestivitate ætatis* Pr. 3. cap. 4. §. 3. DN. D. Nicolaus Hertius *de Socialitate* cap. 3. §. VI. B. Zeifoldus *in Tr. de Notitiis Natural.* §. 268. 269. Hinc etiam est, quod in infantibus ante omnem disciplinam ostendat se ad bene aliis faciendum quædam propensio Hugo Grotius *de J. B. & P. in Proleg.* §. 7. *Conf. Lib. II. c. V. §. 11.* Atque infantes cum à Parentibus increpantur, virgis caduntur, & coercentur, ipsis hæc accidunt, non per modum pænæ: quia eos innocentia consilii tuetur *L. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* sed nudæ emendationis, ne aliis, lascivia infantili facebant molestias, aut à teneris malum sibi advescant, in ætate paulò adultiore vix corrigendum. Quemadmodum in foro humano pro peccatis propriè dictis infantum actiones malæ non habentur; Vid. Illustr. Samuelis Strykii *Disp. de Delictis Impuberum* cap. 2. ita ex illorum castigatione non plenum usum juris naturalis, sed minimum ejus possessionem colligere, nulli prohibemur. Pariter de furiosis & amentibus existimandum est, in quibus mens non sublata, sed illius tantum usus alienatus est, dummodo citra ipsorum culpam iste morbus provenerit. In quantum non intelligunt, quod agunt, juris naturæ sensum, non habitum amiserunt. Prout Pater furiosus non patria potestate, sed usu ejus excidit *arg. pr. Instit. de Nuptiis.* Neque impedit, furiosis infligi cruciatus: quia in ipsis non habent rationem pænæ, cum delinquere non possint, ob defectum arbitrii sui. Atque hinc eos calamitas & fati infelicitas excusat *L. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* ipso furore sint punitos *L. 14. ff. de Off. Præs.* Habita itaque ratione furoris eximuntur etiam ab imputatione actus moraliter mali, B. DN. Samuel de Pufendorff *J. N. & G. Lib. I. cap. V. §. 10.* Interdum verò coercentur instar equi calcitrosi,

trofi, ne impofterum noceant. Vid. DN. D. Andreas Frommann  
*de Jure Furioforum* & DN. D. Sonnemann *de Jure Infantum*.

§. XII.

Relicto Legis naturalis subjecto, nos convertimus ad  
objectum. Hoc actus sunt morales. A plerisque vocantur per  
se morales. Ne vero capiamur ambiguitate, notandum est, illos  
per se morales appellari ratione immutabilitatis suæ; neuti-  
quam ratione determinationis, quæ antecederet se habent  
ad legem naturalem, uti arbitratur DN. D. Joh. Adamus Osi-  
ander *Annot. in Hug. Grot. Proleg. Observ. V. p. 59.* quoniam actus  
legi convenientes & disconvenientes ita erunt ante legem,  
meraque rationis entia, judice Excellentiss. DN. D. Thomasio  
*in Jurispr. Divin. Lib. I. cap. II. §. 76.* Cum tamen omnis moralitas  
fit ex impositione Dei. Nequæulla antecederet ad voluntatem  
divinam fingi debet, tum quia voluntas Dei æterna est; tum  
quia in Deo omnes perfectiones simul sunt ipse Deus. Vide-  
rint, quo colore moralitatem non legalem, DN. Reinhardus  
Hedingerus *in Conspectu Juris Natural. Pr. I. quæst. I. §. 2. p. 2.* & in  
*Appendice p. 544. 545.* & moralitatem objectivam DN. Jacobus  
Müllerus *in Institut. Moral. Pr. I. cap. II. §. 8. 9. & 10.* Viri, in hoc studii  
genere, satis cauti, hæctenus defenderint. Nequaquam enim  
hac moralitate negata sequitur, Deum posse bona pro-  
hibere & mala moralia præcipere. Deo nihil libet, nisi quod li-  
cet. Summam Dei libertatem, confundunt, cum licentia minus  
plena, quæ in Deum Sanctissimum planè non cadit. Serio  
hæc secum reputans Petrus Poiretus, *in Lib. 3. Cogit. Rat. cap. X.*  
rectè pronunciavit: injurios ita esse in Deum, quod ipsum de-  
pendentem faciant à rebus ab ipso dependentibus, eumque sua  
gloria spolient, quotquot actuum humanorum bonitatem &  
malitiam Dei placitum antecedere, aut non primò ipsi Deo de-  
beri existimant. Neque nostram mens est, quod homo ad vo-  
luntatem divinam ita se conformare debeat, ut ex qualicun-  
que sua conformitate & promiscua dependeat actionis boni-  
tas, & ex difformitate tali, proveniat actionis malitia. Si qui-  
dem actiones sunt, quæ difformes voluntati divinæ, & nihilo  
secius bonæ, uti vota liberorum pro diuturna Parentū vita, qui-

D

bus

bus tamen Deus breviorē vitæ terminum decrevit : Pariter actiones sunt, quæ conformes voluntati divinæ, sed etiamnum malæ. Nam Deus multa vult permittente voluntate, uti peccata, quæ nos nec permittere, nec velle debemus. Nota est mors Judæ Proditoris Dei permisso; at suo scelere pereuntis. Hanc igitur Judas voluisse non debuit: quia erat tantum voluntas permissionis. Sanctissima quidem, sed citra intentionem obligandi. Quæ cessante, obligatio etiam cessat ad conformitatem præstandam. Quapropter conformitas obtineri debet in actionibus moralibus secundum voluntatem Dei præcipientem vel prohibentem; non autem juxta permittentem & nudè singula hæc exequentem, docente gravissimo Theologo DN.D. Joh. Ad. Osiandro in *Loc. XIV. de Conscientia, th. 36. p. 253. 254.*

§. XIII.

Quod actus meræ facultatis, propriè & directè ad Legem naturæ non spectent, rectissimè monuerunt Gvilielmus Grotius in *Enchirid. f. Natural. c. 3. §. 3.* ac fidelissimus ejus interpres B. DN. D. Joh. Georgius Simon in *not. ad cit. auct. cap. 1. p. m. 13. & 14.* Nam actus sunt à mero alicujus arbitrio, citra ullam obligationem dependentes, & ex libertate naturali, gentium, universitatisve jure communes D. Arnoldus Vinnius in *Select. quest. L. 2. c. 6.* B. DN. D. Struvius in *Syntagm. Jur. Civ. Exercit. XLII. th. 22.* Illorum proinde exercitium omisioque nullum jus tribuit, nec exercenti, omittentive præjudicat B. DN. D. Hartungius in *Metaphysica Juridica cap. 3. §. XV. p. 110.* laudabiliter fieri, & sine turpitudine omitti aut aliter fieri possunt Hugo Grotius de *J. B. & P. Lib. I. cap. II. §. 1.* Petrus Poncetius in *Lib. de Civibus §. 8. p. 29.* Et ideò Hugoni Grotio res meræ facultatis dicuntur jura libertatis *L. 2. de J. B. & P. c. 4. §.* Sic ire per viam publicam, in publico balneo lavare, uxorem ducere, quam velis Hugo Grotius de *J. B. & P. L. 2. c. 2. §. 21.* Sanè jus commune ad actus hos est Grot. *Lib. 2. c. 2. §. XIX.* Quæ de causa cuilibet liberum est statuere, quod velit acquirere aut non Hug. Grot. de *J. B. & P. L. 2. c. 2. §. 20.* quippe potestas, ex solo voluntatis arbitrio, nullo jure impediēte, dependet. Cœterum justī sunt, quia non sunt injusti, quatenus scilicet iisdem nihil ad proximum

mum relatæ turpitudinis inest. Inter omnes constat, id justum esse, quod juri non repugnat, etiamsi de præcepto nil quicquam participaret.

§. XIV.

Quos error corripuit circa moralitatem actuum; illos etiam non deserit circa investigationem obligationis, quæ ex naturali jure in homines descendit. Unde efficaciam hujus obligationis è natura objecti aliarumque circumstantiarum eruunt; rectius à metu & reverentia legislatoris derivandam. In quo desiderantur (1) vires, ut contra nitentibus malum verè repræsentare posset (2) Justæ causæ libertatem ex arbitrio suo circumscribendi. B. DN. Pufendorff. *de J. N. & G. Lib. I. cap. VI. §. 9.* Solæ enim vires, tametsi irresistibiles Hobbesius *de Cive cap. XV. §. V.* non sufficiunt, ne semper fortior esset Dominus imbecillioris, Hugo Grotius *de J. B. & P. L. 2. c. XXII. §. X.* De obligatione, non coactione agitur: etsi absque hac vix esse possit obligatio: tum quia plerique hominum non virtutis amore, sed formidine pænæ Leges servant; tum quia is non verum, sed precarium habet imperium, cujus Lex impunè contemnitur B. DN. de Pufendorff *de O. H. & C. Lib. I. c. II. §. V. p. 27.* Quapropter Ludovicus de Molina *Tom. I. de J. & J. Disp. III. n. 3.* Rodericus ab Arriaga *Tr. de LL. Disp. XVI. sect. 3. n. 3.* minus cavetè quæsi fuerunt in eo discrimen Legis naturalis ac positivæ: quod prioris obligatio ex objecto oriatur, & se diffundat in præceptum; posterioris obligatio è præcepto oriatur, ac se diffundat in objectum. Certè vis obligandi, quam jus naturale habet, non nisi ex imperio divino potest derivari: haudquaquam verò ex objecto: quia hoc in genere morum est indifferens. Licet enim necessarius & immutabilis sit nexus inter conditionem objecti, & actiones, quas illa conditio, illiq; fines aut postulant, aut recusant; si tamen actiones illæ, quas dicta conditio objecti postulat, omittantur, ex autem, quas respuit, gerantur, tunc quidem cessant affectus objecto illi congruentes contrarii que oriuntur, per quos natura humana destruitur; sed ex vi objecti quidem nihil ulterius inde consequitur, nisi adsit Deus superior jus imperii habens cum sum-

ma sapientia, potentia, bonitate & iustitia conjunctum, qui actiones illas sempiternam cum natura humana convenientiam habentes jusserit, & contrarias prohibuerit; apud quem proinde quotquot contra præcepta illa fecerint, in reatu constituentur, ejusque vindictam experiri teneantur; è diverso autem ab eodem præmia expectent, quotquot illius jussis obtemperant, ceu prolixè & eximiè docuit DN. D. Joh. Eisenhart in *Instit. Jur. Natural. c. 3. §. 21. p. 71. 72. 73.* Periculum, quod à contrariæ sententiæ defensione impendat, hoc est, ut illi, qui extra impositionem divinam moralitatis actionum humanarum æternam aliquam statuunt regulam, nihil aliud nobis agere videantur, quam ut Deo adjungant principium aliquod cœternum extrinsecum, quod ipse in assignandis rerum formis sequi necessum habeat, observante ita hujus controversiæ interesse B. DN. de Pufendorff in *L. 1. de J. N. & G. c. II. §. 6. p. 25.*

§. XV.

Lex autem naturalis obligat ad reatum; non ad speciem pœnæ Gvilielm. Grot. in *Ench. Jur. Nat. c. IV. §. V. & VI.* De illo liquet, quia ad culpam obligat: Reatus autem culpæ comes est; de hoc, quia species pœnæ à jure naturæ non præscribentes. Naturalis enim lex homines pœnæ obnoxios pronunciat, sed earum definitionem Deo permittit, aut etiam executionem magistratibus, ex jure gentium vel civili faciendam, delegat. Neque officit, quod instigat morsus conscientiæ. Quales in tyrannorum pectoribus describit Plato *L. 6. de Republ.* uti allegat eum Hugo Grot. *de J. B. & P. in Proleg. §. 20.* Aliæ enim sunt pœnæ conspicuæ; aliæ inconspicuæ; aliæ intrinsecæ; aliæ extrinsecæ: Nullæ quidem pœnæ extrinsecæ propriè loquendo sunt, naturales; Secus est de intrinsecis & inconspicuis, quas Hugo Grot. *de J. B. & P. L. 2. c. 20. §. 4.* indicat. Hinc etiam impuræ cogitationes ejusmodi pœnis cohibentur; Deo patent cordium scrutatori: Ergò iis puniendis haud dubiè sufficit, Grotius *de J. B. & P. L. 2. c. 20. §. 44.* Relinquantur Deo, qui ad eas noscendas est sapientissimus & ad exequendas æquissimus & ad vindicandas potentissimus, Hugo Grotius *l. c. §. 20.* In foro humano & externo cogitationes sunt impunes *L. 18. ff. de poenis & Illustris DN. D. Samuel Stryck in Tr. de Jure Sensuum Dissert. X. cap. VI. n. 9.*

*VI. n. 9. 10.* Quoniam naturæ humanæ congruum non est, ut ex actibus merè internis jus aut obligatio inter homines nascatur. Hugo Grot. *de J. B. & P. L. 2. c. IV. §. III.* Ignoræ rei in foro humano nulla est accusatio, nulla cognitio, nulla pœna. Neque legislator præcipere vel prohibere potest, de quo judicare non valet: quia hæc paræ potestatis sunt Vid. Aristoteles *L. X. Eth. c. V.* Hugo Grot. *de J. B. & P. L. 2. c. 20. §. 39.* Inde judicatu facile est, errare eos, qui pœnam capitalem, homicidæ dictatam *Genes. IX. 56.* ad Legem naturalem referunt, & male Grotium interpretantur *in Lib. I. c. II. §. V. n. 2.* talione se excusantes; cum potius ad Legem positivam divinam universalem pertineat: quia omnis pœnæ externa determinatio est juris positivi, DN. Sam. de Pufend. *in Lib. VIII. de J. N. & G. c. 3. §. 26.* DN. D. Thomafius *in Instit. Jurispr. Div. L. 3. c. VII. §. 118. p. 605.* Si humani pro ratione circumstantiarum & locorum variari possunt pœnæ Joh. à Sande *Lib. V. Tit. 9. def. 9.* Ita adulteros puniri necessarium est; reatus etiam pœnæ infligitur ipsis Lege naturali, sed capite eos plecti, id juris positivi est. Interim diffiteri nemo poterit, securius facere Principes, suæque conscientiæ benè consulere, quando pœnarum species ad Mosaicas Leges forenses (quantum fieri potest commodè) accommodent: cum certum sit, in Legibus forensibus Deum voluntatem suam declarasse B. DN. D. Brunne-  
mann *de Processu Inquisit. c. X. n. 33.* Imitatio præstat, ob Legum illorum æquitatem DN. D. Joh. Schilter *In Instit. Jur. Can. L. 1. Tit. 2. §. 2. p. 6.* non cruda reductio, quæ svasoribus suis placeat, tum quia spes & species Reipublicæ, cui latæ fuerunt, penitus concidit Hugo Grot. *de J. B. & P. Lib. I. c. I. §. XVI. in fin. & cap. II. §. VII.* tum quia LL. forenses Judæorum destituuntur ea interpretationum & decisionum copia, quæ Juris Romani praxin magis certam, luculentamque reddiderunt.

§. XVI.

Ubi nunc occasio adest, ibi præcepta juris naturæ affirmati-  
væ obligant: scilicet specialia: quia in his actus virtutum propo-  
nuntur, quos non quolibet modo ac omni tempore fieri oportet,  
sed observatis circumstantiis rerum, locorū & temporū. Secus est  
de generalibus, quæ semper etiam obligant Excell. DN. D. Tho-  
masius *in Inst. Jurispr. Div. Lib. I. c. II. §. 110. seq. & L. 2. c. 2. §. 143.* Qvalia

sunt imperanti pare, societatem cole, Deum ama & similia: Sic præceptum de amando Deo obligat hominem per universum vitæ spaciū: quia quotidiè beneficia à Deo applicantur homini: imo ipsa vita, quam prorogat, fundamentum est omnium bonorum temporalium & æternorum occasio Hugo Grotius *de J. B. & P. L. 2. c. 24. §. 3.* Deum amare nimium nemo potest; quia summum bonum est. Immane quantum hallucinantur hic Thomas Tamburinus, Siculus Jesuita, & in Universitate Messanenfi quondam Theologiæ Professor Primarius *L. 2. Theol. Moral. c. 3. §. 2.* dum infantes, stupidos & similes, ad amorem Dei non teneti hoc præcepto, impiè asserit: quod per rationis usum eo venire nequeant, ut quoscunque actus virtutis ederent. In foro humano valet accusatio à violatione regulæ, quam capere supra vires agentis est; non æque in foro divino: ne quilibet delictis suis palliandis aut abolendis prætexat ignorantiam Vid. B. DN. Sam. de Pufendorff *de J. N. & G. L. 1. c. 2. §. 3.* Pariter deserendi sunt Scholastici gradum obligationis, in præceptis affirmativis hærentem, hoc modo obscurantes: Præcepta affirmativa obligant semper, sed non pro & ad semper Henricus à Gandavo in *Quodlibet L. 1. quest. XI. fol. 27. n. 5.* Antonius Corduba *L. 3. de conscientia quest. 10. art. 12.* Franciscus Svarez in *Tr. de LL. l. 2. c. XIV. n. 14.* In collisione Legum naturalium affirmativarum, DEO magis oportet quam hominibus obedire; jussaque Principum præceptis Patrumfamilias prævalet: quoniam potestas inferior cedere debet superiori. Sin cum negativis concurrant, ita, ut affirmativo nequeat satisfieri, nisi negativum cujusdam præcepti violatione, tunc affirmativum non obligat: Quia agendi occasionem præsupponit; Illa requirit vires agendi, quæ hic deficiunt. Moraliter enim impossibile est, quod contra leges committendum est. Vita redimenda non est scelere, rapto non sunt alendi liberi. Vid. DN. Samuel de Pufendorff *de J. N. & G. Lib. V. cap. XII. §. 23. n. 3.* Fœda igitur, ne Patriæ quidem causa facienda sunt, monitore Hugone Grotio in *Proleg. de J. B. & P. §. 23.* Patriam decet amare, non deperire. Brutus in eo deliquit, quod liberandæ patriæ causa, fœde aggressus est Julium Cæsarem: Nam amor Patriæ metiendus erat regula honestatis. Ab hac qui semel discessit, non amans, sed amens evadit.

§. XVII.



§. XVII.

Ex aduerso præcepta legis naturalis negativa in obligando nullam patiuntur exceptionem necessitatis extremæ. Rat. quia in negativis continentur actus vitiorum, qui, quoniam nunquam non cum malo sunt conjuncti, ideoque omni tempore & omni loco fugiendi. Quod enim verè vitiosum est, & hic & alibi vitiosum est, nec cras evadet bonum, quod hodiè fuerat malo contaminatum B. DN. D. Georgius Königius *in Cas. Consc. IV. p. 344.* Atque sic prætextu vitæ conservandæ, nemini peccare licet: In malorum enim concursu turpi præferendum est triste, hoc est, damnum eligendum præ scelere. Nam omnis electio mali turpis est illicita & prohibita. Neque illud sine damno est, quia conscientiam fauciat, culpam infligit, pœnæque promeritæ obligationem inducit. Parum verò interest, quod eligendum proponitur verè injustum sit, sive quis saltem ita esse omninò persuasus fuerit. Quamdiu igitur injustum illud esse credit, eamque opinionem nondum deposuit, nullatenus eligendum est Hugo Grotius *de J. B. & P. L. 2. c. XXVI. §. 3. n. 5.* Sanè oppressum non excusat necessitas criminis, ubi crimen est voluntatis. Necessitas tegit, non tollit legem DN. D. Becmann *in Conspectu Morali Cap. XVII.* Sed quid factu opus, si duo mala turpia offerantur? Ut si quis alterum cogere velit, ut hunc vel illum hominem occidat, aut falsum ferat testimonium, interminata morte, nisi fecerit? Resp. Hoc casu neutrum eligendum est: quia utrumque respuere potest. Tertium namque datur, videlicet malle mori, id ipsum in præsentis exemplo habetur. Quod si enim mortem contemnat potius, quam tanta peccata perpetraret ab utroque erit immunis, B. DN. D. Joh. Steuber *in Theologia Morali Cap. I. quest. VI. p. 50.* Habenti itaque certum propositum committendi gravioris peccati, si aliter à proposito suo abduci nequeat, quam suggerendo aut svadendo illi aliquod minus, illud minus peccatum svadere prorsus illicitum est. Rat. (1) Quia is, qui jussu aut svasu aliquem in peccatum inducit, istius peccati auctor est, (2) quia minus peccatum etiam peccatum, & moraliter malum est. Magis enim & minus non variant speciem (3) quia svasor peccati minoris, non à toto peccato, sed

sed tantum à gradu peccati dehortatur. Quæ deminutio mali quoque censetur mala: etsi dissentiat Franciscus Toletus in *Instruct. Sac. Lib. 5. c. 13. n. 6. p. 773.* Sectæ suæ inservit, abusus exemplo Lothi *Gen. XIX. v. 8.* Planè ad rem non pertinet, gentilium virtutes esse peccata; nihilominus eligendas: Ergò è duobus malis turpibus minus fore præferendum. Verum enim verò Gentilium virtutes non sunt mala turpia in se ratione officii; sed sunt talia per accidens ratione actus præstiti & ipsius agentis, quod tanquam arbor mala fert malos fructus, virtutum simulachra sunt, quæ elicit spes laudis propriæ vel timor vituperii, non amor DEI, ut Imperantis nostri DN. D. Joh. Adam Osiander in *Theologia Morali Cap. XV. §. XVIII. p. 386.* Interim à peccatis per accidens simpliciter non est abstinendum, sed actiones legi divinæ per se congruæ præstandæ sunt: dummodo externi emendentur defectus. Sin emendari non possint, adhuc præstat committere peccatum per accidens, quam omissione actionis Lege DEI per se præceptæ, peccatum per se. Unde virtutes gentilium magis secundum officium, quam actum inspiciendæ erunt.

§. XIIII.

Ingens autem discrimen est, quod Doctiores juris interpretes notârunt, inter Legem naturalem & moralem, ut ut effectu & auctore inter se convenient B. DN. D. Georgius Dorschæus in *Theologia Morali Disp. I. §. 10.* B. DN. D. Volckmar Bechmann in *Comment. ff. Exercit. Exot. I. n. 66. p. 24.* DN. D. Thomæ in *Inst. Jurispr. Div. L. 2. c. 2. §. 3. not. b.) p. 51.* Siquidem Lex moralis in multis præceptis est supernaturalis e. g. de Sabbatho sanctificando, de prava concupiscentia fugienda. DN. Reinhardus Hedingerus in *Conspectu Juris naturalis quest. I. §. 11. p. 5.* Quo minus B. DN. D. Danhauero in *Collegio Decalog. Disp. I. §. 20.* B. Henrico Bœclero in *not. ad Hug. Grot. p. 4.* Andreæ Bauero *de Lege Morali Cap. I.* Wilhelmo Zeppero *de LL. Mosaicis Lib. I. Cap. I.* aliisve accedamus, strenuè asserentibus, jus naturale & morale specie non differre inhibet, tum objecti, seu rituum præscriptorum; tum formæ ipsius in prædictis legibus indoles. Moralis est spiritualis; naturalis est animalis: Moralis ex revelatione; Naturalis ex ratione percipitur. Vid. B. Balthasar Meisnerus in *Tr. de LL. Lib.*

*Lib. III. quest. V. p. 192. 193.* Deinde differt etiam à jure divino positivo (1) universali, quod omnes homines obligat, quia promulgatum est personis totum genus humanum representantibus DN. D. Thomafius *in Inst. Jurispr. Div. Lib. I. Cap. II. §. 121.* Sic præceptum de arbore vetita, interdictum de Polygamia & divortio, de homicida capitaliter puniendo & similia. Actus enim hoc jure præcepti & vetiti non habent necessariam connexionem, cum hominis natura sociali, quæ tamen in jure naturali requiritur. (2) A particulari, tam ceremoniali, quæ circa ritus sacros, quam forensi, quæ circa causas fori judaici occupatur. Nam Jus naturale est jus universale: quoniam omnes homines, ut sociales, obligat. Illud verò ad Rempublicam Judæorum restricta erat. Hugo Grotius *de J. B. & P. Lib. I. cap. I. §. XVI.* Celeberrimus DN. D. Thomafius *in Instit. Jurispr. Div. Lib. I. Cap. II. §. 127.* Quamvis hæc discrimina recte adhibeantur; imprudenter tamen jus Gentium secernitur à jure naturali. Quod enim jure naturæ introductum est, id gentes usu approbarunt. Sic legatorum securitas est sita supra vim injustam, non supra vim judicialem D. Rachel. *de J. N. & G. p. 289.* Ægre id defendunt, dum ad discursum ex principiis juris naturalis deductum, & apud moratiores gentes obtinentem, ultrò confugiunt. Alberius Gentilis *de jure belli Lib. I. Cap. I.* Zuchæus *de Jure Feciali Pr. I. Sect. I.* Hugo de Roy, de eo, quod justum est *Tit. 3. §. 7.* Hugo Grotius *de J. B. & P. Lib. I. cap. I. §. XIV.* D. Wolfgangus Textor *in Synopsi Jur. Gen. C. I. n. 20. & 21.* DN. Jac. Müllerus *in Inst. Jur. Gentium Cap. 2. p. 33. cum seqq.* Neminem fugit, per discursum ex Principiis Juris naturalis plura deduci, quæ non sunt juris gentium. Sic omnia præcepta Patrum, maritorum, Dominorum, liberis, uxoribus, aut servis obeunda, huc pertinent. Nam conclusiones ex naturali Lege deductæ non minus à natura sunt, & vim obligandi accipiunt, quam ipsa principia B. DN. D. Herm. Conring. *in Diss. De. LL. th. XXIV.* Ineptum quoque est ex morationibus tantum gentibus æstimare jus Gentium. Tunc enim regula universalis actuum publicorum, qui gentibus invicem intercedunt, esse non potest: quoniam ex consensu, uti volunt Hugo Grot. *de J. B. & P. Lib. I. C. I. §. XIV.* Francisc. Connanus *Lib. I. Comm. c. 6.* DN. Jac. Müllerus *l. c. cap. 3. §. 2. p. 48.* introductum est, Ergò  
D non

non obligantur eo gentes dissentientes, adeoque universale gentium jus rranfit in pactum quarundam gentium particulare. Nam gentium jus, eo ipso, quo gentium est, omnes tam barbaras, quam moratas obligat. Prætereà una gens aliam juxta se barbaram declarare non valet, ne fortassis alteri se præferret in tanto naturalis æqualitatis vigore. Quin etiam nulla se barbaram agnoscit, ex alterius judicio. Sanè, quæ apud unam gentem partim infamia, partim humilia atqve ab honestate remota ponuntur; contra apud alteram decora & honesta reputantur. Temerarium erit judicium de potentissimæ alicujus gentis barbarie DN. Samuel de Pufendorff. *L. 2. de J. N. & G. C. 2. §. 7.* Joh. Jac. à Ryffel *de J. N. & G. Cap. 27. §. 4.* Et habita ratione illius jus gentium etiamnum erit jus quoddam particulare, quod potius in informationem, & assuefactionem præcipuè refundendum erit. Ita constat mores magis occasionem, quam indolem hujus juris exhibere. Denique ex eo, in quo populi consentiunt, aut quod ex illorum consensu deductum est, jus gentium derivare non licebit. Quandoquidem talis consensus omnium populorum, nunquam & nullibi ostendi potest. Neque tanti ponderis erit, ut universalem & constantem obligationem inducat. Fac etiam ex solo consensu id jus, quod gentium vocant, dependere, tuto colligitur, opposito dissensu idem sublatum iri. Satis igitur causæ non habent, hostes nominis Pufendorffiani, propter quas ipsum refutarent, dum gentium jus non separavit à jure naturali,

§. XIX.

Præcipua Legis naturalis affectio est immutabilitas. Rat. (1), Quia fundamentum ejus est socialitas, (2) quia principium est immutabilis DEI voluntas (3) quia subjectum est ratio humana, præceptorum divinorum capax. Quamdiu hæc durat, tamdiu juris naturæ principia sunt inviolabilia. Vid. Perillustri DN. de Rhez *Comment. ad Inst. Dissert. III. Pos. VI. p. 36.* Nam ratione conclusionum mutationem recipit, propter certas circumstantias, uti exemplo usucapionis pro more suo solidissime demonstrat Illustris DN. Samuel Stryckius *in Comment. inst. §. 11. de J. N. G. & C.* Quamobrem mutatio objecti, cum mutatione juris neutiquam confundenda est, Celeberrimus DN. D. Christianus Thomasius *in Inst. Jurispr. Div. Lib. I. Cap. II. §. 99. p. 83.* Equidem

dem plures objiciunt (1) mutationem DEI (a) in cæde Isaaci Abrahamo divinitus præcepta *Genes. XXII. 2.* (b) in ablatione rei alienæ Israëlitis præcepta *Exod. XII. v. 35.* (c) in conjugii fratrum & sororum. Enimverò DEus neutrubi mutavit legem naturæ: Non in illo casu: ob jus vitæ & necis in singulos homines sibi quæsitum, nec creatura sua abuti præsumitur, quia sanctissimus est; nec in isto, ob absolutum omnium rerum dominium Hugo Grot. *de J. B. & P. Lib. I. c. I. §. X.* & in compensationem mercedis debitæ B. DN. D. Joh. Gerhard. *Tom. 2. de LL. §. 120. p. 32.* neque in hoc: quia fratrum & sororum conjugia non naturali, sed positiva lege DEI universali vetabantur. Cum igitur necessitas esset, crimen non fuit Hugo Grot. *de J. B. & P. L. 2. c. V. §. 9. & §. 13.* Petrus de Ledesma *de Matrimonio art. 2. dub. 2. Con. 2.* B. DN. D. Joh. Strauchius *Exerc. ad ff. 2. th. 11.* Seldenus *de J. N. & G. juxta Disciplin. Ebr. Lib. I. c. 10. p. 117.* Neque cum Joh. à Felden *in not. ad Hug. Grot. L. 2. c. V. §. 13. p. 181.* ad legem naturæ hypotheticam ejusmodi conjugia referenda sunt. (2) Mutationem hominis (a) in ademptione libertatis venandi, piscandi & similes res consequendi (b) in remissione debiti, quæ olim per acceptilationem, hodiè per pactum de non petendo opportunè declaratur. Sed quemadmodum ademptio illius libertatis non jus naturæ mutat, sed circumscribit, quod eo jure permissum Hugo Grotius *de J. B. & P. L. 2. c. III. §. 6.* Ita etiam pacto hoc liberatorio, debitor desit quicquam creditori suo debere vid. DN. D. Joh. Henricus Kleinschmidt *in Exerc. Jurid. de Pacto de non petendo §. 2. p. 5.* Imago mutationis sæpè fallit incautos, cum revera non jus naturæ mutetur, quod immutabile est, sed res, de qua jus naturæ constituit, quæque mutationem recipit Hugo Grotius *de J. B. & P. Lib. I. c. I. §. X. n. 6.* DN. de Pufendorff. *de J. N. & G. Lib. II. c. III. §. 5. p. 165.* Multò minùs obligatione mutabili existentè, Lex etiam, ex qua orta est illa obligatio erit mutabilis: quia lex est propositio universalis, quæ non mutatur, licet obligatio unius individui extingvatur. Siquidem omnis obligatio homini debita est mutabilis vel voluntate superioris, si ille jus tollat in altero, vel spontanea jurisrenunciatione. Conf. DN. D. Thomafius *in Inst. Jurispr. Div. Lib. I. c. I. §. 140. 141. p. 41.*

§. XX.

Altera legis naturalis affectio est indispensabilitas; quia species mutationis est dispensatio. Secus ac docent Gvilielmus Occam *in 2. quest. 19. art. 3.* Petrus ab Aliaco *in 1. Disp. 14.* Andreas à Novo Castro *Lib. 1. sentent. dist. 48. quest. 1. art. 1. f. 158.* Ultimus horum Auctorum ita argumentatur pro stabilienda sententia sua: Qvicumque est Dominus Legis alicujus is potest in illa dispensare: sed Deus est Dominus legis naturalis; Ergò Deus potest in Lege Naturali dispensare. Resp. Major limitatione indiget: Qvicumque enim est Dominus alicujus legis, ita ut obligatio à sola ipsius voluntate dependeat, is in ea omnino potest dispensare, verum hoc modo minor neganda est; Deus quidem Auctor & Dominus est Legis naturalis; obligatio tamen hujus legis in origine & duratione dependet à socialitate hominis, quam Deus non destruit, quia Sapientissimus est. B. D. N. D. Georg. Sim. *in not. ad Gviliel. Grot. Ench. § 12. p. 52.* Fridericus Hornius *de Subjecto Juris natura c. 7. th. 29.* Similiter in legem naturalem non cadit æquitas: quia hæc correctio legis est ea in parte, qua ob universalitatem suam deficit in casu aliquo particulari. Cum verò lex Naturalis scripta non sit, eoque nomine deficere non potest; nunquam enim tota auditur, nisi omnes addideris exceptiones, quibus additis, nihil ei deesse videbimus, non fert interpretationem per æquitatem, sed ipsa æquitas est. Gvilielmus Grotius. *in Enchiridio J. Natur. c. 3. §. XI. p. 46.* Adamus Tannerus *Tom. 2. in Thomam Disp. V. quest. 2. dub. 4.* Plura restant in ardua hac materia, quæ uberiorem exigunt laborem. Jus enim naturale nullam vitæ nostræ partem relinquit vacuam. Adeoque de hoc jure tantum quisque scit, quantum ex ejus præscripto operatur. Non scientes, sed facientes digni sunt illius præmiis. Ut iis potiar finem scrutinii, non officii mei faciens,  
DEO soli tribuo gloriam.

**S**cire Tuum nihil est, nisi mentem lege gubernas:  
Felicis vitæ regula sola cluit.  
Et juxta hanc exacta decet constantia morum  
Cultorem sophiæ, \* quem probitate nota  
Tantum quisque boni scit, quantum hoc præstat in orbe:  
Omnia prætereunt, sed bona fama manet.

\* *L. 18. pr. ff. de Æd. Ed.*

*cecinit*

Præses.



DD A 6301

ULB Halle 3  
002 937 14X



88

V 17

Reho ✓







9.

B. C. D.  
DISPUTATIO ETHICA  
DE  
**NORMA ACTUUM  
MORALIUM,**

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. FRIEDERICO WILHELMO,**  
Electo Brandenburgici Herede  
&c. &c. &c.

Indultu  
*Amplissima Facultatis Philosophicae*  
In  
**ACADEMIA FRIDERICIANA**  
PRÆSIDE  
**M. JOH. FRIEDEMANNO Schneider /**  
Cranichfeldensi

*Publico Eruditorum examini proponitur*  
à  
**JOACHIMO Hindenburg/Phil. & SS.Th. Cultore,**  
A. & R.

Die 16 April. Ann. M DC XCVIII,

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
LITERIS CHRISTOPHORI SALFELDII,  
TYPOGR. ELECT. BRAND.

